

DE  
AESCHYLI  
SEPTEM CONTRA THEBAS.

—••••—  
SCRIPSIT

A. C. ŁOWIŃSKI.

—••••—  
CONICII  
LITTERIS F. F. HARICHI.  
A. MDCCCLII.

DE

ASSEMBLY

SEPTEN CONTRA THEBAS

STREET

A. J. JOHNSON

GORICH

LETTIS F. HANICHT

A. JOHNSON

Μαθοῦσιν ἀδῶ καὶ μαθοῦσι λήθομαι.

Ἀἰσχυλός.

I.

**T**rilogiarum Aeschyliarum tractatio cum omnino constet quot et quantas cautiones habeat, tum novo nuper eoque luculento documento clarissima in luce positum est. De trilogica enim Septem contra Thebas fabulae ratione quaecunque critici vel cautissimi iam pridem asseverarunt et tanquam extra omnem dubitationem posita confidentissime crediderunt, eorum nihil non falsum esse nunc demum intelligitur ex pretiosissima didascalica a Franzio<sup>1)</sup> quidem reperta in codice Aeschyli Mediceo.

Exitus autem eiusdem fabulae inde a v. 996 ed. Well. primum criticis Franco-gallicis<sup>2)</sup> visus est tollere omnem unitatem quae dicitur actionis, cum nec edictum senatus Thebani de non sepeliendo Polynice pronunciatum a praecone nec ipsam Polynicis sepulturam, quam neglecto edicto paratura esset Antigona, ullo interno vinculo

1) Die Didaskalie zu Aeschylus Septem contra Thebas. Berlin. 1848.

2) Théâtre des Grecs. I. p. 418, IV p. 201. Antigone se déterminant à l'inhumier remplit un devoir de piété; mais c'est un autre intérêt, ce sont des autres personnages que ceux, qui ont occupé le spectateur pendant la pièce, ainsi c'est un véritable commencement d'une autre tragédie.



arbitrarentur contineri cum reliqua totius tragoediae oeconomia. Idem vitio vertere poetae non dubitarunt, qui inter Germanos elegantissimi exstiterunt artis Graecorum dramaticae existimatores, Suevernius<sup>1)</sup> et Schlegelius.<sup>2)</sup> Nec aliter de ultima illa scena sagacissimus trilogiarum Aeschylidarum inventor Welckerus<sup>3)</sup> sensit: qui quidem subtili sensu suo fretus cum singula fabularum Thebanarum nomina in trilogias distribuisset, pro rei natura externorumque testimoniorum penuria non potuit non quaedam dubia et valde ambigua in medium proferre. Nec profecto mirum est ipsum Welckerum in quaestione tam lubrica aliquantum sane fluctuasse. Primum enim una trilogia Laium, Sphingem et Oedipum, Nemeam, Septem contra Thebas et Phoenissas altera, tertia denique Eleusinos, Argivos et Epigonos iunctos fuisse coniecit:<sup>4)</sup> post missa hac coniectura in secunda trilogia pro Phoenissis Eleusinos posuit, in tertia autem omnes tres fabulas suspicatus est ita sociatas fuisse, ut Epigonos Argivi, Argivos Phoenissae exciperent.<sup>5)</sup> Sed in eo tamen consentaneus sibi fuit Welckerus, quod Septem contra Thebas fabulam propter eam quam supra attuli causam sine ulla dubitationis significatione nunquam non mediam esse voluit. Quae quidem causa tantam prae se ferre probabilitatem visa est, ut iccirco Hermannus quoque a recta via, quam primum iniiit,<sup>6)</sup> aberraverit eamque fabulam item sibi persuaserit medium

1) Aeschylos Sieben gegen Thebe. Halle. 1797. p. 135 sqq.

2) Ueber dramatische Kunst und Litteratur. Heidelberg. 1817. I. p. 162.

3) Die Aeschylische Trilogie. Darmstadt. 1824. p. 365. Ebenso gewiss verräth der Ausgang der Sieben ein Endstück des Ganzen. Der Vorsatz der Antigone den Polynices zu beerdigen ist mit so bestimmtem stolzem Pflichtgefühl gegen Verbot und Rath des Stadtheroldes ausgesprochen, das man die Erfüllung, die Darstellung der That verlangt, umsomehr als der Streit der Schwestern durch die Theilung des Chors dieser Handlung noch mehr Gewicht giebt.

4) l. c. p. 334 sqq.

5) Schulzeit. Darmst. 1832. 2. Abth. p. 164 sqq. Die Griech. Tragöd. Rhein. Mus. Suppl. II, 1. 1839. p. 29.

6) De composit. tetralog. Opusc. II. p. 314 sq.

locum tenuisse. Prima enim trilogia eiusdem Hermanni sententia est Oedipi res tractatas esse, primum autem bellum Thebanum complexam esse alteram i. e. Argivos(?), Septem contra Thebas et Eleusinos, tertiam denique Epigonorum res gestas.<sup>1)</sup> —

Verum enimvero haec tot tantorumque criticorum inter se consentientium iudicia corruunt nunc omnia, postquam felicissimo casu Franzius, quanquam ipse ante cum reliquis criticis superstitem fabulam negavit in fine trilogiae positam fuisse,<sup>2)</sup> hanc in thesauris Florentinis didascaliam repperit:

ἐδιδάχθη ἐπὶ Θεαγενίδου<sup>3)</sup> Ὀλυμπιάδι ὄη. ἐνίκα Λαίῳ, Οἰδίποδι, Ἐπιὰ ἐπὶ Θήβας, Σφιγγὶ σαυροειῆ. δεύτερος Ἀριστίας Περσεῖ, Τανκάλῳ, Παλαισταῖς σαυροκοῖς τοῖς Πρατίνου πατρὸς. τρίτος Πολυφράδμων Ἀυκουργία τετραλογία.

Cuius quidem documenti fidem qui nuper in dubium vocare ausi sunt Richter<sup>4)</sup> et Vaterus,<sup>5)</sup> prorsus ineptos et ridiculos sese praestiterunt sua videlicet somnia longe longeque anteponentes tam antiqui testimonii memoriae. —

Sed in fine trilogiae positam fuisse Septem contra Thebas fabulam quoniam certissimum est, eiusdem fabulae exitum, qui tantopere torsit criticos, qua tandem ratione

1) De Aeschylis trilog. Theb. Opusc. VII p. 190 sqq. et p. 205 sqq.

2) Des Aeschylus Oresteia. Leipzig. 1846. p. 303.

3) In corruptis codicis Medicei scripturis: Θεαγένους, Ἀριστίων, Πολυφράδμων, et Theagenidis archontis et reliquorum poetarum, qui una cum Aeschylo trilogias commiserunt, Aristiae Polyphradmonisque nomina latere eiusdem Franzii facilis nec fallax coniectura est.

4) Class. mus. Lond. 1849, XXV p. 312 sqq.

5) Neue Jahrbücher für Philol. Suppl. XIX, 1. 1850. p. 110 sqq.

nunc dixeris explicandum esse? Aeschylum enim omnino est incredibile imperite et oscitanter nescio quem pannum assuere voluisse ei potissimum fabulae, quam tot laudibus cumulavit cum omnis antiquitas tum Aristophanes<sup>1)</sup> homo iudicii acutissimi. Ut mehercule ne excusatione quidem opus sit, qua ad defendendum poetam usi sunt recentiores critici. Et Jacobsuis<sup>2)</sup> quidem sepulturae commemorationem repetendam esse contendit a moribus Graecorum, qui cum in spectaculis tragicis affuissent, illud potissimum scire cuperent, num iusta mortuis essent soluta. Quae sententia si ullam haberet probabilitatem, in unaquaque tragoedia sepulturam recte quidem monuit Suetonius<sup>3)</sup> poetis describendam fuisse: idem autem cum ultimam scenam affirmasset<sup>4)</sup> supervacanei ornamenti instar habendam esse poetamque propter ultima verba antecedentis scenae v. 996

*ὡς ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον.*

commemorasse fratrum sepulturam, ne ille parum honorifice de dramatica Aeschyli arte iudicavit! Nec honorificentius apparet esse iudicium Boeckhii,<sup>5)</sup> qui ultra modum protendi concedit quidem actionem in Septem contra Thebas, sed expectationis movendae causa exitum illum sibi persuasit additum esse a poeta, qui alius trilogiae Thebaeae continuationem quandam in animo habuisset. Quid multa? Arcissimo vinculo eam ipsam scenam cohaerere cum reliquo eiusdem fabulae argumento quam nullusdum quod sciam perspexit, luce tamen clarius est. —

In universum enim trilogiarum componendarum rationem Aeschyli ex Eumenidibus scimus eiusmodi fuisse, ut *πρωτάρχον ἄτης* quaedam expiatio in ultima trilogiae

---

1) In Ranis v. 1021 sqq.

2) Nachträge zu Sulzers Theorie der schönen Wissenschaften. II. p. 413.

3) l. c.

4) l. c. p. 137 sq.

5) Graec. trag. princip. Heidelbergae. 1808. p. 269.



fabula accederet. Eandem rationem in Prometheus quoque Solutus non est dubium quin poeta secutus sit. Quanquam talem intercessisse inter Iovem et Prometheum reconciliationem, qualem baptizato Aeschylus nuper sibi finxit Schoemannus,<sup>1)</sup> prorsus negamus.

Iam vero sceleris Labdacidarum expiatio, quam iam diu Welckerus<sup>2)</sup> singulari fabula suspicatus est a poeta expositam fuisse, quidni credatur inesse in ipso illo exitu fabulae? In hanc sententiam dici vix potest quam apte ultimae fabulae scenae conveniant: uterque enim semichorus postquam satis multus fuit in deploranda mutua fratrum caede, expiatum esse scelus significat, unus quidem v. 920 sq.

πέπνυται δ' ἔχθρος, ἐν δὲ γαίᾳ  
ζόα γοροῦντῳ μέμικται.

alter v. 939

δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων.

Idem dicendum est de carmine lugubri sororum, ut quae non commiserentur solum fratres suos, verum etiam quodammodo demovere culpam ab eis studeant, cum eos in potestate mali numinis esse dicant v. 992.

ὠὸ δαίμονωντες ἐν ἄτα

---

1) Des Aeschylus Gefesselter Prometheus. Greifswald. 1844. p. 63 sqq. Ceterum quem Schoemannus p. 247 sqq. commentus est Prometheus Solutus, is non modo perversam de Jove opinionem continet, sed etiam universa sua pusilla compositione a cothurno Aeschyli alienus est quam qui maxime.

2) Die Aeschylische Trilogie. p. 370. Wer die Orestee und Prometheus kennt, kann nicht zweifeln, dass Aeschylus ein beruhigendes Ende auch für die Thebische Schicksalstragödie aufgesucht oder erfunden haben werde. Es ist als ob durch die Sieben die Erinnyen unsichtbar einerschreitend Grausen verbreitete, und die

Quibus versibus ad ipsam reconciliationem fratrum atque expiationem sceleris Labdacidarum percommode transitum paravit poeta: quippe videmus enim ambas sorores sepeliendorum fratrum pari studio curiosas v. 993 sqq.

ΙΣΜΗΝΗ

ὠὸ ὠὸ ποῦ σφε θήσομεν χθονός;

ΑΝΤΙΓΟΝΗ

ὠὸ ὄπου τιμώτατον.

ΙΣΜΗΝΗ

ὠὸ ὠὸ πῆμα πατρὶ πάρευνον.

Quaquam aliquantum sane discriminis non est mirum intercedere inter pleniorum et sedatiorum chori lamentationem atque permistum cum singultu fletum sororum, quippe quae vehementissimo dolore raptae nisi infracta et amputata loqui nequeant: in quarum indole describenda tanta tamque admirabili arte versatus est poeta, nemo ut assequi eum nec poeta nec alius artifex possit. —

Sed praekonem, qui in scenam prodit, fortasse quispiam quaerat, quo consilio poeta senatus Thebani edictum pronunciantem fecerit. Atqui in illustranda fabula Thebana Aeschylum totum fere pependisse constat ex antiquissimis poetis cyclicis, Cinaethone<sup>1)</sup> atque Homero ipso:<sup>2)</sup> qui quidem Eteoclem in carminibus suis volue-

---

Fluch-Keren würgen unversöhnlich das edelste Geschlecht; aber in die Mysterien des Fluchs, wie sie die alte Sage und der Volkswahn feiert, lässt der Dichter einen leuchtenden Strahl Attischer Eumenidenlehre fallen —

- 1) Der epische Cyclus oder die Homerischen Dichter von F. G. Welcker. Zweit. Theil. Bonn. 1849. p. 313. Das beste Zeugniß für die Oedipodee des Kinäthon giebt die Nachbildung der Geschichte in einer Trilogie des Aeschylus ab, welche vermuthlich die Hauptpunkte des Epos in ihrem wesentlichen Zusammenhange enthielt.
- 2) l. c. p. 323 Wie Aeschylus seine Trilogieen auf der Grundlage Homerischer Poesieen aufbaute, ist uns aus denen deutlich genug, welche dem Troischen Kreis angehören. Cf. etiam p. 378.



runt esse natu maiorem ideoque legitimum regni paterni heredem, pium praeterea et iustum, contra Polynicem natu minorem, impium discordiae fraternae auctorem patriaeque hostem<sup>1)</sup>. Eadem fratrum indoles, quam Sophocles demum et Euripides foedere sociatis inter se Atheniensibus et Argivis prorsus immutarunt Argivorum gratia<sup>2)</sup>, ab Aeschylo quidem religiose retenta imitandoque accurate expressa est. Foedus enim Atheniensium Olymp. LXXIX, 2 ictum cum Argivis, quod constat quanti momenti fuerit in componenda Orestea<sup>3)</sup> Olymp. LXXX, 2 in scenam producta, nullam vim habere potuit in Septem contra Thebas: quam fabulam ante Argivum foedus Olymp. LXXVIII, 1 doctam esse eadem didascaliam ista testatur.

A partibus igitur Thebanorum atque Eteoclis stare sese cum tota tragoedia tum ultima illa scena et potuit significare poeta et voluit. Nam cum iam iamque in eo essent Antigona et Ismena, ut humarent fratrum corpora, en praeco in scenam prodit edictum pronuncians, quo senatus Thebanus Polynici, ut qui bellum patriae intulisset, honorem sepulturae denegavit. Antigona autem animi magnitudine praestans inter mortuos fratres tanquam conciliatrix intercedit, cum semetipsam sepeliendi Polynicis periculum subituram esse dicat v. 1017 sqq.

ἐγὼ δὲ Καδμείων γε προστάταις λέγω,  
ἦν μὴ τις ἄλλος τόνδε συνθάπτειν θέλη,  
ἐγὼ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ  
θάψασ' ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν, οὐδ' αἰσχίνομαι  
ἔχουσ' ἄπιστον τήνδ' ἀναρχίαν πόλει.  
δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγγχον, οὐ περὶ κάμεν,  
μητρὸς ταλαίνης κἀπὸ δυστήνου πατρὸς.

1) l. c. p. 340 sq.

2) l. c. p. 341 sq.

3) Des Aeschylos Oresteia von Johannes Franz. p. XXX.

Quid? quod praecone civium iram magis magisque minitante eo audaciae progreditur Antigona, ut defendere ac tueri fratrem contra iniquam probrorum insimulationem studeat v. 1038

ἤδη τὰ τοῦθ' οὐ διατείνεται θεοῖς.

item v. 1040

παθῶν κακῶς κακοῖσιν ἀντιμείβετο.

Huc accedit quod ipse chorus, quamvis illius partes a Thebanis virginibus eisque patriae amantissimis agantur, metu tantum sese dicit deterreri a deplorando sepeliendoque Polynice v. 1050 sqq.

πῶς τολμήσω μήτε σὲ κλαίειν  
μήτε προπέμπειν ἐπὶ τύμβῳ;  
ἀλλὰ φοβοῦμαι καποτρέπομαι  
δεῖμα πολιτῶν.

Sed mox misso metu alter semichorus in partes Antigoniae atque Polynicis transiens id agit, ut fratrum culpam minuat et excuset v. 1061 sqq.

καὶ γὰρ γενεᾷ κοινὸν τόδ' ἄχος,  
καὶ πόλις ἄλλως  
ἄλλοτ' ἐπαινεῖ τὰ δίκαια.

In quibus versibus nemo negabit inesse non solum excusationem fratrum, sed etiam reprehensionem civium Thebanorum, quorum duritiam severitatemque ne praeco quidem tacuit v. 1062

τραχὺς γε μέντοι δῆμος ἐκρυγῶν κακά.

Quae cum ita sint, expiationem et tanquam placationem πρωτόρχου αἴτης Labdacidarum pium poetam exponere voluisse credendum est ultima hac scena: quae

quidem tantum abest ut supervacanea sit, ea sublata ut iusto fine carere tota trilogia videatur. Singulari igitur et propemodum incredibili errore decepti sunt, quicumque in trilogiarum Aeschylidarum rationem inquirentes ex superstitis fabulae compositione et argumento Oedipodeae trilogiae nexum non perspexerunt talem fuisse, qualem Florentina didascalia exhibet. Tot enim tamque luculenta deperditarum fabularum vestigia in Septem contra Thebas, imprimis in secundo eiusdem fabulae stasimo inde a v. 702 tanquam sua sponte se offerunt, ut coniectando ratiocinandoque ex eis probabiliter erui atque adumbrari totius trilogiae forma et quasi facies possit, praesertim cum magno nobis sint adiumento hac in quaestione cyclicorum poetarum reliquiae.

Sed plena huius quaestionis tractatio, quam nuper attigit Schneidewinus<sup>1)</sup> collaudatus ille a Welckero,<sup>2)</sup> cum amplius sibi spatium poscat otiumque ad limandum nunc maxime desit, (necopinanti enim mihi haec commentandi facultas data est,) per commodiorem fortasse occasionem huc olim rediturus in praesens quidem satius duxi acquiescere in singulis locis Septem contra Thebas fabulae pristino nitore restituendis.

---

1) Philol. III, 2. 1848 p. 348 sqq. et V, 1. 1850. p. 180 sqq. Quae in priore fasciculo inest Schneidewini commentatio, eam doleo mihi non fuisse praesto.

2) l. c. p. 318.



## II.

Recentioribus temporibus Porsoni Hermannique strenua artis criticae factitandae ratio nemo nescit adiumentum ad emendandos poetas Graecorum tragicos quantum attulerit. Ac primum quidem inter eos, qui tanquam alumni severae duumvirorum illorum disciplinae in interpretando emendandoque Aeschylo operam suam collocarunt, nominandus est Ahrensius: <sup>1)</sup> qui quidem quattuor potissimum res recte perspexit in emendando Aeschylo maximi esse momenti: 'codicum auctoritatem, sententiarum in canticis ordinem, proprietatem sermonis Aeschylei, metrorum apud Aeschylum rationem.' Sed quae breviter tantum perstrinxit Ahrensius, eadem singillatim multo uberius explicarunt alii critici. Qui quidem ut haberent quo niterentur fundamentum, ab explorandis mutuis codicum rationibus profecti sunt. Quo in genere singularis laus debetur Marckscheffelio <sup>2)</sup> et qui codicem Mediceum longe omnium antiquissimum et praestantissimum denuo laudabili studio perscrutati sunt, Ioanni Franzio <sup>3)</sup> atque Carolo Prienio. <sup>4)</sup>

Sed in metricis quoque rationibus Aeschyli dedita opera investigandis probabili consilio elaborarunt praeter ipsum Ahrensium Bambergerus, <sup>5)</sup> Engerus <sup>6)</sup> et Din-

---

1) De causis quibusdam Aeschyli nondum satis emendati. Gottingae. 1832.

2) De emendatione fabulae Aeschyliae quae Supplices inscribitur. Rhein. Mus. V, 2. 1846 p. 161 sqq.

3) Des Aeschylos Oresteia. p. 303 sqq.

4) Des Aeschylos Oresteia von Johannes Franz. Rhein. Mus. VI, 4. 1848. p. 561 sqq. Ueber die Perser des Aeschylos. Ibid. VII, 2. 1849 p. 208 sqq. Des Aeschylos Oresteia von Johannes Franz. Ibid. VII, 3. 1850 p. 370 sqq.

5) De carminibus Aeschyleis a partibus chori cantatis. Marburgi Cattorum. 1832.

6) De Aeschyliis antistrophicorum responsionibus. Vratislaviae. 1836.

dorfius,<sup>1)</sup> postquam universam doctrinam metricam admirabili ingenio suo collustravit Hermannus. Quid? quod artis quoque scenicae Aeschyli diligens nuper et doctus interpres exstitit Sommerbrodtius.<sup>2)</sup> —

Quas igitur rationes in emendando Aeschylo observari oporteat, cum non sit dubium, nihil reliquum est nisi ut harum rationum strenuus usus in singulis fabulis fiat cum omnibus tum praesertim eis, quae nostra aetate praeter Dindorfium paullo peritorem editorem nactae sunt neminem. In quarum numero habenda est etiam Septem contra Thebas fabula, quippe quam ne Dindorfius quidem novissima editione<sup>3)</sup> sua in pristinum nitorem, quoad eius omnino fieri potest, restituerit. Difficillimos enim locos tantum non omnes aut prorsus intactos reliquit aut parum probabiliter emendavit.

Hanc autem fabulam quanquam scimus et lectitatam esse studiose a grammaticis et descriptam saepe, eandem tamen per XIV amplius saecula (tanto enim temporis intervallo antiquissimus codex ab ipsa poetae aetate distat) quo tandem iure censebimus prorsus integram omnique labe vacuum mansisse? Ut profecto mirum non sit in Septem quoque contra Thebas fabula plures exstare locos, quos sanare nisi audacia quadam nequeas. Haec enim nostra aetate artis criticae iam adulta condicio est, nemo ut reperiatur sanus, qui in librorum fidem temere iurans scripturarum quae dicuntur vulgatarum quamvis ineptissimarum suscipere patrocinium velit. Omninoque, ut praeclara RITSCHELII<sup>4)</sup> verba mea faciam, 'mirabiliter abuti ratione existimo qui dum criticae artis modestam audaciam sibi scilicet negatam exosi increpant hoc genus omne et contra felicem ingenii usum omnem lapidem movent,

---

1) Metra Aeschyli, Sophoclis, Euripidis et Aristophanis. Oxonii. 1842.

2) De Aeschyli re scenica. Pars I. Lignicii. 1848, pars II. 1851.

3) Aeschyli Septem contra Thebas ex recensione Ricardi Porsoni passim reficta. Editio secunda correctior. Lipsiae. 1850.

4) T. Macci Plauti Miles Gloriosus. Bonnae. 1849. p. XXIII.

adeo sibi non constant ut multo maiorem audaciam exosculantes miris explicandi artificii et interpretandi praestigiis insolentissima quaeque male creduli excusent temereque defendant quae nec dicta sunt unquam nec potuerunt dici,' —

Operae igitur pretium facturus esse mihi videor, si in Septem contra Thebas loci difficillimi et aperte corrupti qui leguntur, eos probabiliter emendando ad sanam rationem revocavero. Audaciam autem emendandi cum supra dixi, non hercle cogitavi de temeritate Bothiana, sed de ea audacia, quae via ac ratione coercetur et severis artis criticae legibus nititur. —

Et initium quidem habeo cur sumam a parodo illa non unam ab caussam memorabili, qua haud scio an nullum sit carmen choricum Aeschylī ad factitandam criticam accommodatus.

Primum autem rationes metricae nimium quantum vexarunt criticos, quorum primus Seidlerus de verss. dochm. p. 181 sqq. responsionem antistrophicam eamque satis probabilem indagavit. Eadem via, quam dubito num recte exagitaverit Hermannus in Elem. p. 751, non potuerunt non insistere recentissimi critici, quandoquidem certa responsionis vestigia tanquam incurrunt in oculos. Huic quaestioni finitima est ea, quae ad numerum personarum distributionemque ipsam carminis pertinet: quaedam enim partes parodi quaeritur singulisne personis an universo choro sint tribuendae. Totum hoc quale sit, dilucide expediit Ritschelius: qui quidem XV personarum numero investigato et emendandi et disponendi carminis rectam viam primus monstravit. Ab eadem ratiocinatione, quam suae de Aeschylīis antistroph. respons. commentationi p. 36 sqq. Engerus inseruit, tanquam a fundamento proficisci velim eos, qui in emendanda hac parodo sint elaboraturi. Corruptos autem etiamnunc post tot tamque acres criticorum curas in eo carmine plures inesse locos ipse Ritschelius tantum abest ut negaverit, ut qua tandem via succedere singulorum versuum emendatio possit, probare studuerit p. 37 l. c.: id quod pluribus persecutus est Engerus p. 47 sqq.

In eiusmodi desperatorum locorum numero habendus est v. 88 mirum in modum corruptus, sed de cuius vitiis Wellauero ne suboluerit quidem quicquam:



βοᾶ ὑπὲρ τειχέων ὁ λείκασπις ὄρ-  
νται λαὸς εὐτρεπῆς ἐπὶ πόλιν διώκων.

Primum hanc versus dochmiaci formam: βοᾶ ὑπὲρ τειχέων, alienam esse constat ab Aeschylō: id quod etsi nec Egerum fugit nec Dindorfium, tamen illi non videtur in promptu fuisse emendatio probabilis, hunc autem τάφρων pro τειχέων coniiicientem vera emendandi ratio prorsus latuit. Etenim ὑπὲρ praepositionem nequaquam explicari posse hoc loco tum ex ipsa hac parodo perspicitur, cum hostium exercitus περὶ πόλιν morari dicatur ab eodem choro v. 108, tum ex v. 272, quo idem exercitus dictus est ἀμφιτειχῆς. Praeterea vox βοᾶ nescio quid incommodi, ne dicam ieiunitatis habet, cum in describendo hostium clamore iam paullo ante v. 83 sq. tam copiose et praeclare versatus sit poeta:

ἐλασιδέμνιον πέδι' ὀπλόκτυπ' ὠτὶ χρίμπτει βοάν<sup>1)</sup>  
βρέμει δ' ἀμαχέτον δίκαν ὕδατος ὄρειτύπον.

Nunc demum labefactata per vim rationis codicum omnium fide ipsius poetae manum deleta ὑπὲρ vocula sic instaurandam esse arbitror:

βίᾳ τειχέων ὁ λείκασπις ὄρ-  
νται λαὸς εὐτρεπῆς ἐπὶ πόλιν διώκων.

qua emendatione et versus dochmiaci legitima forma et sententiae integritas dubium

---

1) Ex istis scripturarum quasi monstris: ἐλεδεμνάς πεδιοπλόκτυπος κ. τ. λ. elegantem illam et ingeniosam emendationem eruit Ritschellius p. 43 sqq.: quae emendatio quivis sentit quantum praestet ei, quam nuper Dindorfius proposuit:

εἶλε δ' ἐμὰς φρένας δέος· ὀπλων κτύπος ποιηχρίμπτεται·

esse nequit quin feliciter restituta sit. Eandem dictionem habes, ne plura afferam, Agam. v. 229

βίε χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει.

Alter eiusdem parodi locus nondum a quoquam recte persanatus legitur inde a v. 131 — 136: quos quidem versus Wellauerus qualemcunque librorum mss. squalorem pluris quam sanam rationem faciens hunc in modum exhibuit:

καὶ σὺ Λύκει' ἀνάξ, Λύκειος γενοῦ

στρατιῶ δαίῳ στόνων ἀῦτᾶς

σύ τ' ὦ Λητογένεια κοῦρα,

τόξον εὔ πικάζου,

Ἄρτεμι φίλα.

Sed in his facile liquet et reseccanda esse nonnulla, si versus strophicos 117 — 120 spectaveris, et emendanda quaedam, si paullo diligentius ipsos antistrophicos versus inquisiveris. Nam nec genitivus ἀῦτᾶς nec quem Wellauerus proposuit, accusativus ἀῦτᾶς perspicuum est quo tandem spectet. Multo probabilius emendare hos versus conati sunt Stanleius et Seidlerus: Stanleius quidem prorsus palmari coniectura pro ἀῦτᾶς substituens vocem ἀῖτᾶς scholiorum quoque testimonio confirmatam: στόνων ἀῖτᾶς] τῶν ἡμετέρων στεναγμάτων ἀκροατῆς, Seidlerus autem de verss. dochm. p. 185 et 196 totum systema non sine certa via ac ratione sic perpoliens:

καὶ σὺ Λύκει' ἀνάξ, Λύκειος γενοῦ

στρατιῶ δαίῳ στόνων Ἀηθῶτις

τε κοῦρα τόξον εὔ πικάζου.

Atqui nec genitivus στόνων patet unde pendeat, nec quomodo excidere vox proba ἀῖτᾶς potuerit. Accedit quod prorsus abhorret a granditate sublimitateque orationis Aeschyli tam exilis et omnium luminum poeticorum expers sententia: Λύκει' ἀνάξ Λύκειος γενοῦ.

Quae cum ita sint, repetitum Apollinis cognomen glossema esse quis est quin ilico sentiat? Pristinam igitur totius loci speciem ascita et Stanleii *ἀϊτάς* et Seidleri *Ληθαῖς* coniectura suspicor exstitisse hanc:

καὶ σὺ Λύκει' ἀναξ στρατῶ δαίω  
στόνων ἀϊτάς γενοῦ· Λαθαῖς  
τε κοῦρα τόξον εὔ πικάζου.

Dativus *στρατῶ δαίω* ad vocem *Λύκει'* pertinet virginesque Thebaeae haec precantur: etiam tu rex Lupine i. e. inimice exercitui hostili (*καὶ σὺ Λύκει' ἀναξ στρατῶ δαίω*) exaudi lamentationes nostras. Hoc modo qui totum locum explicaverit, originem simul scripturae vulgatae perspexerit. Dativum enim *στρατῶ δαίω* aptum esse ex voce *Λύκει'* fugisse videtur librariorum: explicandi igitur causa ante eundem dativum coniectio posita fuisse verba: *Λύκειος γενοῦ*, quae cum postea in textum irrepsissent, alterum *γενοῦ* excidit. Quae omnia non narrarem in re tam aperta, nisi omnem vellem tollere dubitationem, quae moveri de transpositione verbi *γενοῦ* posset.

Hinc simul apparet, quantopere falsus sit Dindorfius hanc emendationem commendans:

καὶ σὺ, Λύκει' ἀναξ, Λύκειος γενοῦ  
στρατῶ δαίω στόνων καππαίας·

qui nec glossema esse alterum *Λύκειος* perspexerit et pro *ἀϊτάς* improbabiliter coniecerit *καππαίας* vocem doricam, quae vereor ut sit omnino Aeschylia. —

De reliquis huius parodi difficultatibus veluti de v. 108 sqq. et v. 123 cum nunc tacere quam comminisci non omni ex parte vera malim, ad alterum carmen choricum transire in animo est. Cuius quidem carminis initium inde a v. 269 turpissimis vitis inquinatum sic exhibere non puduit Wellauerum:

μέλει, φόβω δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ·



γείτονες δὲ καρδίας μέριμναι  
ζωπυροῦσι τάρβος,  
τὸν ἀμφιτειχῆ λεών'  
δράκοντα δ' ὡς τις τέκνων  
ὑπερδέδοικεν λεχέ-  
ων δυσενήτειρα  
πάντροφος πελειάς.

Ex hoc codicum quasi sterquilinio aurea ipsius poetae verba non dubito quin probabiliter elici possint, dummodo et antistrophicorum versuum 286 sqq. utpote ab omni vitio vacuorum accurata restituatur responsio et sententiarum scripturarumque recta fiat existimatio. Primum v. 270

γείτονες δὲ καρδίας

vitiosum esse ex v. antistrophico 287, qui est ithyphallicus:

τᾶςδ' ἄρειον ἐχθροῖς,

facile collegerunt critici: qui quidem cum metricae tantum concinnitati consulere studuissent de sententia prorsus securi, non potuerunt nisi perperam de versu illo iudicare. Quid enim? Verba ista: γείτονες δὲ καρδίας μέριμναι nonne permirum est sensisse neminem quam sint languida et ab Aeschylia sententiarum gravitate abhorrentia. Sed quid multa? Tritum καρδίας quod ne exstat quidem in cod. Reg. L., falsum interpretamentum esse patet pristinae Aeschyloque omnino dignae scripturae κηρὸς, quae vox eodem modo usurpata exstat veluti Agam, v. 199

βαρεῖα μὲν κῆρ τὸ μὴ πιθίσθαι

Sollicitudines autem quam praeclare a poeta dicantur tanquam vicinae pernicipi (γείτονες κηρὸς), vix est quod moneam. Falsa igitur scriptura nititur Hermannus καρ-

δίας hisyllabum esse contendens in Elem. p. 54: id quod Wellauero quidem facile persuasit, non item Dindorfio, qui nimis δωριάζων pro καρδίας commentus est κάρζας. Nec probabilius iudicarunt, quicumque in versu antistrophico vitium inesse suspicati pro ἐχθροῖς scribendum esse sibi persuaserunt δαίοις.

In reliquis versibus emendandis magno nobis sunt adiumento et praeclarae cod. Med. scripturae et versus antistrophici, quorum haec est species metrica:

◡ ◡ ◡ —, ◡ ◡ —, ◡ ◡ —  
 ◡ ◡ — ◡ — ◡  
 ◡ ◡ —, ◡ ◡ — —  
 ◡ ◡ —, ◡ ◡ —, ◡ ◡ —, ◡ ◡ —  
 ◡ ◡ —, ◡ ◡ —, ◡ ◡ —, ◡ ◡ —  
 ◡ ◡ — ◡ — ◡

Praeterea negari nequit pleraque a criticis iam esse feliciter reperta veluti λεχάίων illud, quod pro λεχέων praeclare coniecit Lachmannus de chor. syst. p. 67. Omnibus autem diligenter pensitatis rationeque habita codicis Med., praesertim scripturae δυσεννήτορας, ex qua reliquae emendationes pendent, non possum quin totum locum sic reconcinnatum proponam:

μέλει, φόβω δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ·  
 γείοντες δὲ κηρὸς  
 μέριμναι ζωπυροῦσι τάρβος·  
 τὸν ἀμφιτειχῆ λεῶν δράκοντας ὡς τις τέκνων  
 ὑπερδέδοικεν λεχάίων δυσεννάτορας  
 παντρόφος πελειάς.

His expositis ad trimetros iam accedere placet. Ac primum quidem emendatione

sine dubio eget v. 566, quem nimio scripturarum vulgatarum studio captus sic scripsit Wellauerus:

μητρὸς τε πηγὴν τίς κατασβέσει δίκη;

Sed dictionem *πηγὴν κατασβεννύναι* etsi constat per se esse probam nec alienam ab Aeschylo, eandem tamen hoc loco nego ullo artificio explicari posse. Nec quicquam proficimus emendatione Schuetzii:

μητρὸς δὲ πηγὴ τίς κατασβέσει δίκη;

sic interpretantis: 'matris vero (caesae) vindictam num fons aliquis restinguet?' Nam nec *δίκη* *κατασβεννύναι* nec *μητρὸς δίκη* ea qua Schuetzius voluit significatione graece unquam dictum est: praeterea nimia obscuritate cum totus versus tum vox *πηγὴ* laborat. Quid igitur? Num in scriptura vulgata acquiescendum cum Wellauero Dindorfioque? Wellauerus quidem versum illum sic interpretatus: 'matris vero fontem quodnam ius exsiccat i. e. quonam iure exsiccabis?' — dubito num lumen verbis Amphiarai attulerit. Fons enim ille matris quid sibi velit, non est apertum. An de fonte Dircae cogitabis cum quibusdam interpretibus? Atqui fons Dircaeus nec omnino commemorari hoc loco a poeta nec *μητρὸς πηγὴ* dici potuit. Sed de lacrimis patriae cogitasse poetam fortasse verisimile est? At hae insulae scholiastarum nugae sunt: lacrimarum enim significatio, de qua cogitarunt scholiastae veluti talia alucinantes: *τὰ δάκρυα τῆς πατρίδος ποία πάνσει τιμωρία*; haudquaquam inesse potest in voce *πηγὴ*. Quae cum ita sese habeant, una tantum literula addita versum illum hoc modo emendandum esse conicio:

μητρὸς τε πληγὴν τίς κατασβέσει δίκη;

*μητρὸς πληγὴ* matris vulnus est: cum matricida enim apte ab Amphiarao comparatur Polynices, ut qui patriae i. e. matri suae (cf. v. 16) plagam iniecturus sit.

Eadem probabilitate nec difficiliore opera corrigi potest v. 595

τείνουσι πομπήν, τὴν μακρὰν πόλιν μολεῖν,



in quo quidem explicando item frustra omnes interpretes desudarunt. Nec iniuria: verba enim τὴν μακρὰν πόλιν reapse explicari hoc loco nequeunt. Quocirca plures editores veluti Schuetzius et Blomfieldius ad πάλιν scripturam confugerunt et πάλιν μολεῖν verbis fugam ducum Argivorum significari sibi persuaserunt. At vero non de fuga, sed de morte vaticinatum esse oraculum ideoque non potuisse nisi de morte Amphiarai loqui Eteoclem tam est in promptu, id ut ne Wellauerum quidem fugerit. Sed idem tamen in defendenda scriptura vulgata nimius fuit. Explicationem enim scholiastae A: ἐπὶ τὴν εἰς ἄσθην ἀποικίαν ἐλκυσθήσεται μολεῖν τὴν ἐναντίαν τῇ εἰς Ἄργος amplexus τὴν μακρὰν πόλιν verbis Orcum intelligi contendit: cogitatione enim esse supplendum: ‘non in nostram, sed in remotam illam inferorum urbem venient.’ Sed haec significatio cum a toto sententiarum nexu tum ab ipsis verbis alienissima est: etenim non de Orco loquitur Eteocles, sed de expugnatione Thebarum. Dempta igitur una tantum literula dubitari nequit quin hunc in modum redintegrandus sit versus ille:

τείνουσε πομπὴν, τὴν ἄκραν πόλιν μολεῖν,

ἄκρα πόλις arx Thebarum est, quam expugnatam venerant Argivorum duces. Unde intelligitur nullo iure versum istum tanquam subditivum uncis inclusisse Dindorfium.

Paullo pleniorē disputationem undeviginti versus 785 — 804 eiusdem fabulae requirunt: quorum ordinem aliqua ex parte turbatum esse negari quidem nequit, sed perturbatio illa non videtur tam late patere, ut de duplici recensione totius scenae cogitandum sit. Sed ‘ne te morer, audi quo rem deducam.’ Inde a v. 793 pristinum versuum ordinem existitisse coniicio hunc, quem infra posui.

#### ΑΓΓΕΛΟΣ

οὕτως ἀδελφεαῖς χερσὶν ἠναίροντ' ἄγαν.

#### ΧΟΡΟΣ

οὕτως ὁ δαίμων κοινὸς ἦν ἀμφοῖν ἄμα,  
αὐτὸς δ' ἀγαλοῖ δῆτα δύσποτον γένος.

ΑΓΓΕΛΟΣ

πόλις σέσωσται· βασιλείων δ' ὁμοσπόροιν  
πέπωκεν αἷμα γὰρ ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ.

ΧΟΡΟΣ

τοιαῦτα χαίρειν καὶ δακρύεσθαι πάρα,  
πόλιν μὲν εὖ πράσσουσαν, οἱ δ' ἐπιστάται  
δισσὴν στρατηγῶν —

Reliqua omnia recte se habent, nisi quod v. 786

πόλις σέσωσται, βασιλέες δ' ὁμόσποροι

subditiuus est, quo quidem excogitari pinguius interpretamentum non potuit. Quamquam cur illud posuerit in margine interpres quisquis fuit, non est obscurum: quippe unam versus partem i. e. πόλις σέσωσται pertinere voluit ad interrogationem chori v. 785

τί δ' ἐστὶ πρᾶγος νεόκοτον πόλει παρόν;

alteram βασιλέες δ' ὁμόσποροι ad verba nuncii dedita opera obscure loquentis:

ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων —

Sed mittamus ineptias et explicemus potius, cur versuum illorum ordinem omnino probabile sit talem fuisse, qualem supra proposuimus, et quae fuerit caussa turbandi ordinis:

Primum duo versus 802 sq.

πόλις σέσωσται· βασιλείων δ' ὁμοσπόροιν  
πέπωκεν αἷμα γὰρ ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ.

cum usquequaque digni sint Aeschylo, pro interpolatis haberi nequeunt: eidem tamen versus eo quem nunc obtinent loco i. e. post v. 801 non modo misere languent, verum etiam omni rationi repugnant. Nam postquam nuncius inde a v. 797 — 802 satis copiose narravit et de urbis salute et de mutua fratrum caede, idem non potuit eadem breviter repetere duobus tantum versibus 802 et 803. Quod incommodum tollitur omnino, si versus istos ante v. 796 posueris: id quod etiam reliquorum versuum (797 — 802) argumentum flagitat. Etenim quae primum paucis comprehendit nuncius, post pluribus persequi potuit chorus 797 — 802. Tam simplici ratione miretur fortasse quispiam voluisse me succurrere huic loco nec sum nescius, quantae moveri dubitationes possint veluti de v. 789 et 791.

In priore quidem versu

*φρονοῦσα νῦν ἄκουσον, Οἰδίπου γένος —*

continuatio structurae i. e. praedicatum, in altero autem

*οὐδ' ἀμφιλέκτως μὴν κατεσποδημένοι —*

subiectum verbi *κατεσποδημένοι* deesse videtur, sed videtur tantum: utrumque enim enunciatum, nisi me omnia fallunt, recte se habet: nam quod interrumpitur nuncii oratio

*φρονοῦσα νῦν ἄκουσον, Οἰδίπου γένος —*

chori exclamatione v. 790

*οἱ γὰρ τάλαινα, μάντις εἰμι τῶν κακῶν.*

et quod v. 791

*οὐδ' ἀμφιλέκτως μὴν κατεσποδημένοι —*

tacetur ab eodem nuncio subiectum, quod ne postea quidem v. 793

*οὕτως ἀδελφαῖς χερσὶν ἠναίροντ' ἄγαν.*



additum est, in eo consistit ars quaedam et certum consilium poetae, qui de industria nuncium faciat abrupte et tecte loquentem et quasi tergiversantem huc illuc, donec quale sit illud *πρᾶγος νεόκοτον πόλει παρόν*, a choro cogatur, ut clare et definite exponat his versibus:

*πόλις σέσωσται· βασιλέϊν δ' ὀμοσπόροιν  
πέποικεν αἶμα γὰρ ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ.*

Verum haec hactenus. —

